

quitur perceptionem boni aut mali : sed ad sui productionem opus habet peculiari Mentis contentione & nisu. Qui ex perceptione boni aut mali non immediate fluit, sed adiunctis adhuc aliis pro arbitrio cogitationibus promouetur. Quis ergo non iure id a mente postulabit, vt suspendat hanc nisu vehementiam & determinationem, donec distinctam & satis adaequatam cognitionem eorum omnium, quae perceptio aliqua boni aut mali inuoluit & coniuncta habet, adepta fuerit : atque tum demum re exacte perspecta, pro ratione eiusdem adeoque rationabiliter se ultimato determinet? quod si Mens facere intermittat & in praecipitia ruat, non facile quisquam eandem tali modo agentem a culpa vacuam pronuntiabit. Contra vero si omnia prius accurate cognouerit, & tum secundum rei conditionem seu rationem conatus suos exerat : quiuis hanc Mentis diligentiam laude dignam censebit.

§. XVII.

Sed veniamus nunc quoque ad eorum sententiam, qui emendationem a voluntate inchoandam esse censent. Vt adpareat, quod illi plane diuersis nitantur rationibus, dum alias adsumunt definitiones. Quo tum fit, vt vere oppositae illae sententiae dici non queant, adeoque illi, qui emendationem ab intellectu inchoandam censent, facile distinguendo & mentem explicando sententiae suae veritatem contra alios propugnare possint. Illi intellectus voluntatisque definitiones alias quam §. I. traditae fuerunt, supponunt. Omnem fere actiuitatem intellectui adimunt, iucundas s. boni & iniucundas s. mali perceptiones voluntati tribuentes. Quod vt dilucide pateat lectoribus, dissertationem *de emendatione animae non ab intellectu sed a voluntate inchoanda* anno 1711. habitam, in compendium redactam huc transferemus. Ita tamen vt in subiectis Annotationibus ostendamus, qua ratione illi qui, §. I. positas definitiones accuratas satis & aliorum Consensu comprobatas admittunt, ad quorundam recentiorum sententias & obiectiones respondere suamque Thesin defendere queant. Quae tamen non eo proferuntur animo,

mo,